

et similitudinem suam formam eas. ut creatus
homo suum conditorem deum cognoscat dili-
gat. veneretur. et eius preceptis in hac mortali
vita obediens. per opera bona et meritoria
vitam tandem immortalem beatitudinis plenam
in anima et corpore perpetuo consequatur. et ita fit
bonis angelis associatus. et in loco malorum
angelorum siue demonum substitutus. Qui de-
mones. propter peccatum in has inferiores partes
terre corruerunt. damnationis sententiam susti-
nentes. Cum quibus etiam iustissime damna-
buntur homines iniqui diuinis preceptis obe-
dientes. et more bestiali quasi non haberent
animam rationalem suis voluptatibus seruientes

Secundum capitulum ostendit humanum genus
propter primorum parentum transgressionem et
peccatum multiplicem incurrisse miseriam.

Idei veritate credendum est primos
parentes nostros adam et eua. qui ad
tam nobilem finem consequende bea-
titudinis creati fuerant. clausisse paradisi ian-
nuam et beatitudinis introitum toti sue pos-
teritati generis humani. Ipsi enim per pec-
catum inobediencie donum iusticie originalis
quodam hereditaria possessione pro se et suis
posteris acceptum a deo ipsi veluti prodito-
res perdididerunt. Quo dono gratuito